



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,  
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

**Nádasi, János**

**Coloniae Ubiorum, 1667**

9 Junii. 5 Idus Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)



mirabili ope illis allatâ , qui acutis-  
simis calculi doloribus cruciati , te  
implorârunt. Pelle à me dolores il-  
los, qui obesse possunt animæ meæ:  
juva in iis, qui proderunt.

OMNES SANCTI, &c.  
pag. 320.

S. MARIA, *cujus hodie comme-  
moratio Constantinopoli celebratur:  
quæ S. Theodorum, ad juvandas Joan-  
nis Zimisca Imperatoris copias, mittere  
es audita, & illi victoriam procurâsti:  
mitte omnes Sanctos, & Sanctas Dei,  
quorum Regina es, ad me juvandum  
in hac vitâ, & morte, quæ est militia  
super terram!*

9 Junii. 5 Idus Junii.

SANCTE Ventura, fullo sancte, cui  
Crucifixus, è Crucis pulpito,  
Vulneribus concionatus est ad cor!  
qui visi semel cælestis Agni sæpè  
recordatus, suspiciens, & suspirans  
in cælum, ajebas: *Ad te levavi oculos  
meos, qui habitas in calis!* & stupe-  
bas, ad hæc verba, hominum corda  
non colliquefcere: fœdas cogita-  
tiones, urticis te flagellans, fugâstis  
cælo magistro usus, doctorum ma-  
gister factus es; & sub mortem,  
Christum iterùm aspexisti; & nunc  
aspicis



aspicis semper ! O persuade Crucifixo Ecclesiastæ tuo, ut èt me ad fervores illos, ad illas cordis in cælum elevationes, accendat & nunc, & tunc vel potissimum, quando ultimum spirabo ; ut *ad se levet animam meam, qui habitat in calis.* Amen.

Sancti Prime, & Feliciane, quos, fractis catenis, Angelus è carcere liberavit ; virgis, plumbatis cruciati.

S. Prime, qui fustibus, equuleo, lampadibus tortus, cantabas lætus : *igne nos examinasti, sicut examinatur argentum ; & Deo Jesu benedicens, agebas, te nil tormentorum sentire : bulliens plumbum illæsus hausisti : & , unà cum Feliciano, à leonibus, ac urfis nil læsus, conversis plurimis, gladio uterque cæsi estis.*

S. Vincenti Levita, M.

S. Pelagia Virgo, admiranda virginittatis Martyr.

Sancti Maximiniane, & Richarde, Episcopi.

S. Columbane, qui aquam in vinum convertisti ; fructus amaræ arboris dulces reddidisti ; mortuum suscitasti ; quem orantem Angeli circumstare sunt visi ; quem aliàs lumen cæleste circumdedit ; à cu-



500 ANNI CÆLESTIS

jus, divina celebrantis, vertice con-  
spectus est globus igneus ire in cæ-  
lum : cujus animam Angeli cælo  
inferentes, voce suavissimâ canere  
sunt auditi. Fac, ut quoties oro, id  
faciam, tanquam in medio Angelo-  
rum, corde perfecto.

S. Juliane Monache.

S. Lupe, quem oblatus à Gratâ fi-  
liâ flores, qui divinitus è terrâ, S.  
Alexandri sanguine rigatâ, nati  
fuerant ; deinde audita ejusdem  
Sancti gesta, & accurata lectio  
divinorum librorum, cælo lucrata  
sunt.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 320.

S. MARIA, *qua cum parvulo in  
sinu, JESU, fideli cuidam anima ap-  
parens, illam ad eum, à quo in spiritu  
edoceretur, misisti; sis magistra spiritus  
mei!*

10 Junii. 4 Idus Junii.

SANCTA Margarita, purissimi, ac  
ad divina tenerrimi, cordis Regi-  
na, quæ, in ipso nuptialis tuæ do-  
mûs loco, sanctæ Trinitati tem-  
plum crexisti ; singulis noctibus de  
SSS. Trinitate, de Cruce, de B. Vir-  
gine, matutinum, preces pro de-  
functis,